

tuto Comitatus Zagrabiensis Vice-Comiti, ejusmodi gratificationis modum exquirendi, eundemque fors adinveniendum in effectum et Executionem deducendi, plenariam et omnimodam admiserunt et hoc facto admittunt potestatis facultatem.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

1740. MENSE MAJO. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis SS. & OO. Regnorum Croatiae et Slavoniae, Anno 1740
22. et sequentibus Mensis Maji diebus, Zagrabiae, habitae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem pro die 22. et sequentibus Mensis Maji Anni 1740. in Libera et Regia Civitate Montis Graecensis Zagrabiensis et Comitatu similiter Zagrabiensi existente habita, ex edicto Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Josephi Eszterhazy de Galantha, perpetui in Frakno, Praefatorum Regnorum Bani (P. T.), sub Praesidio vero, ob actualement Suae Excellentiae Banalis Chyragrici paroxismi affectionem, Illustrissimi et Reverendissimi Domini Georgii Branyugh, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopi Zagrabiensis, celebrata Congregatione conclusi.

(Caeteris exmissis.)

Articulus Vigessimus Quartus.

Considerantes et grata memoria Illustrissimi Domini Comitis Benvenuti Sigismundi Petaczy, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Colonelli, et Praesidii Generalatusque Carlostadensis actualis Vice-Generalis, diversis occasionibus, potissimum autem occasione ultimi hujus contra Portam Othomanicam Belli, in propugnando hocce Regno, viresque suas, cum expositione vitae et fortunarum suarum contra Infestissimum Christiani Nominis Hostem Turcam, cum copiis et Exercitu Regnicolari conjungendo, contestatum studium et propensionem, Domini Status et Ordines recolentes et recognoscentes, eundem Illustrissimum Dominum Comitem, erga praeviam ejusdem eatenus debite factam Instantiam, cum Filio suo Adelmo, Antonio Fratre suo Germano, Germanico Francisco a Petaczy, S. C. Regiaeque Majestatis Regiminis Geldiani Capitaneo, suosque utrius Sexus descendentes, in caetum et numerum verorum hujusce Regni Indigenarum, cum relaxatione solitae Taxae, receperunt et cooptarunt, sperantes eosdem Illustrissimos Dominos Comites sese gratos, utiles et fideles Patriae hujusce Concives deinceps quoque exhibituros; qui Illustrissimus Dominus Comes coram Sua Excellentia Banali solitum eatenus est depositurus Juramentum.